



Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. Obss. super 2 Timoth. II. et III.
2. Sessionis VI Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de praesentia theol. aecomanica pro sic dicta biblica.
5. de infelicitate hominum praesenti.
6. de Christi ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana spe natum.
8. de imaginum interpretationum studio.
9. Indiquitatum Nomenclaturarum et Tertull. specul.
10. de tempore, quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIX. 5
12. de propagata per Hispaniam inter Germanos res christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In Math. I. 17.
15. de cauenda molesta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielem spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse paulo auctore verum Deum et verum hominem. disp. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. De vario et impari veterum studio in recedenda historia deservit ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de Despodovos et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter sapienter et sapienter.

II. J. A. Neiffelt.

23. Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.
24. de discernentia propria et tropica dictione.
25. de Latinitate patrum graecorum in nouis.
26. in 1 Cor. II. 20 et 27.
27. interp. cantionis anglicae Luc. II. 14.
28. de Christo homine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis christi confirmare sicut maioribus legitatione scripturae.
30. ad Heb. II. 11.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. XXIII. 17.
33. in Job. XII. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Job. XI. 1-17.
37. In Job. XII. 13-17. 23.
38. (plugs in No. 31. - 37.)
T^o quod est 8^o 2 Cor. II. 6.

N^o. 129.
1

14.

DISSERTATIO HERMENEVTICO - DOGMATICA

IN

M A T T H. V, 17.

QVAM DEO FAVENTE

PRAESIDE

IOANNE SALOMONE SEMLER

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORDINARIO,

SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE,

REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM EPHORO,

PRAECEPTORE INCOMPARABILI, PATRONO ATQVE FAVTORE

DEVOTA REVERENTIA COLENDO

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE IX. APRIL. CIOIO CCLXX.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBICIET

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS ERDMANN BRVN

VOLAVIA - SILESIVS.



HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

11

INSTITUT FÜR
HISTORISCHES RECHT
UND VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE
AN DER UNIVERSITÄT
ZÜRICH

VERLAG
MILNER

INSTITUT FÜR
HISTORISCHES RECHT
UND VERGLEICHENDE RECHTSLEHRE
AN DER UNIVERSITÄT
ZÜRICH

VERLAG
MILNER



VIRO
SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO
DOCTISSIMO
I. C. L V D O V I C I

POTENT. BORVSS. REGI
IN CONSISTORIO SVPERIORI A CONSILIIIS
ECCLESIARVM ET SCHOLARVM
A. C. ADDICTARVM IN TRACTV SILESIAE GLOGAVIENSI
INSPECTORI LONGE GRAVISSIMO
APVD GLOGAVIENSES PASTORI PRIMARIO

ET

VIRO
MAGNIFICO, SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO
SIGISMVND O BASCH

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI
SERENISSIMO DVCI SAXONIAE, VINARIAE ET ISENACI
IN SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO A CONSILIIIS
DVCATVS VINARIENSIS SVPERINTENDENTI GENERALI
SACRORVM AVLAE MINISTRO PRIMARIO
AD AEDEM PETRI ET PAVLLI PASTORI
INTER COGNATOS HONORATISSIMO

PATRONIS AC FAVTORIBVS
SVMMA ANIMI PIETATE VENERANDIS

DENIQUE
VIRO MAXIME REVERENDO
GODOFREDO GVILIELMO BRVN
DIOCESEOS LVBENENSIS INSPECTORI
APVD LVBENENSIS PASTORI PRIMARIO

PARENTI OPTIMO

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA AC PIETATE

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

CAROLVS ERDMANN BRVN.



CAPVT I.
HERMENEVTICVM.

Si scriptores quosdam ecclesiasticos audimus, haec eximii sermonis Christi Matth. V, 17. ⁽¹⁾ pars, & a *Marcione* oppugnata fuit, & a *Manichaeis*. Operae igitur pretium nos facere videmur, si paulo diligentius ea excutiamus, quae ad *historiam* huius capituli pertinent; sicut vtilitate non caruerit, etiam *interpretationis* historiam, quae nostram aetatem antecessit, paululum reperere. Narrat igitur *Tertullianus* ⁽²⁾, libro IV aduersus Marcionem, cap. 7, *Marcionem*, hoc, vt additum, *erassisse*; sed frustra negasse Christum *dixisse*, quod statim *fecerit* ex parte; implessse enim Christum Prophetiam (Ies. 9, 1. 2.) de loco; in Galilaea scil. docuisse. Illa narratio habet non nihil difficultatis; duo enim obstant. Scimus certe primo loco, *Marcionem* Euangelio e nostris nullo ⁽³⁾ vsu fuisse, licet fere sequi soletur ordinem *Lucae*, vt *Tertullianus* ipse dicit, cap. 2. Sed nec hodie vltus codex eorum, qui tam multi supersunt, nec veterum testimonia id prae se ferunt, in *Lucae* quibusdam exemplis existisse hanc sermonis Christi partem; antiquissimi certe *canones* Euangeliorum, qui solebant indicis loco esse, nihil eius rei designant. Deinde in isto ⁽⁴⁾, qui *Origenis* esse dicitur, dialogo contra *Marcionem*, narratur plane contrarium: in

A 3

eius

(1) Excitatur hic locus in *Talmude* etiam vt iam obseruauit, *Wetstenius* & *Gill*.

(2) edit. nouae Halensis, pag. 199.

(3) *Nomen* certe auctoris non adiectum fuit; sic & *Manichaei* solent obicere; atque mirari licet feriorein fabulam, (cod. *Photii* 254, martyrium *Timothei*;) *Iobannem* tribus euangelis, nomina auctorum adscripsisse.

(4) Tom. I edit. de la Rue, pag. 803.

eius Euangelio existisse (5) quidem tale capitulum, sed contrarii argumenti: *ἐν ἡθρον πληρωσάτω τον νομον, ἀλλὰ καταλύσάτω, quam rem & Isidorus, Pelusius, testimonio suo confirmat, Marcionitas corrupisse, ποιησάτω, eam sententiam. Igitur, quo iure Tertullianus dixit, Marcionem erassisse? Hic illud quidem fateamur, haerere nos quasi in tenebris densis; quia certae & stabilis historiae, quae ad Gnosticos & Marcionitas pertinet, inde a seculo 2. 3, nihil omnino ad nos peruenit; speramus tamen ex isto fumo lucem aliquam nos dare posse. Tertulliani istius auctoritas fere nulla est; adeo ille scriptor est vanus & lubricus, quicumque tandem homo fuerit. Is igitur illam publicam famam ecclesiasticam temere arripuit, & narravit, ut saepe, quod fieri potuisset putabat. Plurima quidem aduersus Marcionem scriptis suis nobis ne eius quidem rei fidem satis fecit, ipsum legisse oculis suis aliquid Marcionis. Imitatur autem praecipue Irenaeum, ut alicubi eum exscribere videatur (6). Iam libro 4. 13, Irenaeus eam causam agit, Christum non soluisse legis praecepta, (*κατὰ* illa, & naturalia; quod quidem Marcion & ipse maxime sciebat, ut omnes Gnostici, patroni *κωνοτητος*) (7), atque ex ista *Mattbaei* narratione, cap. 5, aliquot capitula describit; non tamen hoc nostrum (8). Hic dicit, talia Christi carmina non contrarietatem & dissolutionem continent; sicut, qui a Marcione sunt vociferantur; sed plenitudinem & extensionem. Sunt autem hoc ordine ab Irenaeo recensita capitula, quae in excusis nostris*

libris

- (5) Haud omnino constat, utrum ad ipsum hunc locum, an vero ad eius sensum, pertineat ista *Origenis* explicatio, *Psalmi 70, 14. Tom. 2. de la Rue p. 760*, ille, qui dixit, *non veni solvere legem* etc. *ὡς ἀρεσκει τῆ τε χρειστε ἐπινομω ἐκκλησιῶν*. Aduersus haeresin certe aliquam haec dici videntur; nec in istam facilius, quam in istam *Marcionis*. Christus *προστίθησι* ad laudes dei, cum dicit, etc.
- (6) Viderunt id iam *Iunius, Rigaltius* & alii; atque facile patet, si quis conferat, quae contra *Valentinianos* & Gnosticos scripsit.
- (7) Recte illa *κατὰ*, & *κωνοτητα* notionum naturalium, praeftruuntur aduersus Iudaeos eorumque legem peculiarem.
- (8) Illud postea excitat, sed & ibi sine nomine Evangelistae; lib. 4. c. 34, aduersus Marcionis aetleas; sed nihil huius rei narrat; videtur potius hoc capitulo, tanquam satis certo & non dubio. Hanc *Irenaei* varietatem, quam statim notamus, *Wetsteinus* non recenset.

libris ordinem sequuntur alium: *non moechaberis* etc. 27. 28. *non occides*, etc. v. 21. 22. *Non periurabis* v. 33. 34. 37. Hic mirum omnino est, ab *Irenaeo* sic citari, ut nomen Evangelii non addat. Pater autem, eum non accusare *Marcionitas*, quod *eraserint* Christi aliquam sententiam; sed tribuere eis, quod statuant, quod haec a Christo sic dicta contrarietatem & dissolutionem praeteritorum contineant (9). Hic igitur ille *Tertullianus* solus, de suo addidit (10): *Marcionem erasisse* istam sententiam, quae (*Tertulliano*) videbatur secum ferre confirmationem legis & Prophetarum. Itaque, & qui sequuntur scriptores, nihil eius rei repetunt, quod *Marcion* hic *eraserit* sententiam. Quod vero ad istum dialogum attinet, *Origenis* nomine celebratum (11), satis constat: & hanc scriptionem confictam esse ab ignoto auctore, qui omnino vixit post concilium *nicaenum*. Sed mendacem hominem & impotorem tribuere *Marcionitis*, quod *corruerint* atque in contrariam sententiam peruerterint Christi aliquod oraculum, non miramur. Finxit igitur & hic aliquid, in odium *Marcionitarum*, ut omnem disputationem illam confinxit (12), qui seculo 4. pauci supererant aut nulli; *catholicis* autem aliquid beneficii se hac ratione praestitisse, opinari poterat; scilicet ut eo facilius omnes libri, qui veteris testamenti esse dicuntur, a cunctis christianis sacro in loco porro haberentur, nisi *Marcionis* illa haeresi & peste quasi quis se pollueri atque publice ex ecclesia eiici veller. Isto autem libello porro *Isidorus*, *Pelusiota*, deceptus fuit; ideo non miramur, eum in *Marcionitas* inuehi.

Oportet

- (9) Satis clara est haec *Irenaei* sententia: nihil accusat *Manichaeos*, de crimine falsi.
 (10) Solet is scriptor etiam alibi temere affirmare, quasi historiam certam, suspensiones & opinioniones suas.
 (11) *I. R. Werstenius* quidem, ille, qui superiori seculo primus graece edidit, *Origeni* tribuit; sed *Benedictinorum* praefatio vel sola sufficit, non esse *Origenis*, licet forte sit *Adamantii* cuiusdam, seculi 4.
 (12) Quaedam sunt e *Maximi* quadam commentatione. Stupendum est, tot olim scriptiones polemicas confictas fuisse; eius generis est & *Tertulliani* ille liber, *aduersus Iudaeos*, cuius vel nos pudet & piget; confusus e variis aliis locis *Tertulliani*, praecipue e libro III. *aduersus Marcionem*. Ineptissimus libellus: Hoc erat *Iudaeos* refutare!

Oportet autem aliquid dubitationis etiam porro seculo 4 exeunte & 5 ineunte locum habuisse; quia in *Augustini* libris contra *Fauftum*, *Manichaeum*, fere similem narrationem reperimus. Cum nobis liberum non sit euagari latius, fuffecerit, vel istum vnum locum excitate, libro 17 ab initio. Sic ibi *Fausus* colligit. In solo *Matthaei* euangelio hoc capitulum legitur; sed *Matthaeus* tum non fuit Christi discipulus; *Iohannes*, qui interfuit, tacet de hoc sermone; si igitur scripsit *Matthaeus*, fide tamen caret. Sed & omnino incertum est, ipsum scripsisse illud euangelium; quia loquitur de *Matthaeo*, cap. 9, quali de alio, is scriptor; non de se ipso. Sed & ille ipse sermo Christi videtur contrarium inuoluere; si enim nihil Christus fecisset eius generis, vnde colligi potuisset hoc: non erat, vt sic loqueretur. Iam vero Christus circumcissionem risit, sabbatum violauit, cibos confudit; quid manifestius fieri potuit, in destructionem legis & prophetarum? Si hoc est, legem implere, quid erit soluere? — Sic & libro 18. pergit *Fausus*: non cunctis statim credendum esse, quae ex Saluatoris nomine scripta leguntur; sed probandum, si sint eadem vera, sana, incorrupta: quia permixta sint zizania, quae, in contagium boni seminis, seripturis *pene omnibus*, noctiuagus quidam seminator, *inspersit* etc. Huius generis suspicionem de interpolatione Euangeliorum, & *Tertullianus* describit; dicere Marcionitas, Euangelium *interpolatum* esse, a *Iudaismi* *prorektoribus*, ad concorporationem legis & prophetarum, contra Marc. 4, 4. & lib. 5, 19, haec pseudopostoli nostri & *iudaici* *Euangelizatores de suo intulerunt*; itaque & *catholicorum* Euangelium nominarunt *Iudaicum*; vid. *Wetstenius* ad locum istum *dialogi*, *o Iedax* *504* *εργα* *120* (13) scil. hanc sententiam, de qua agimus. Liceat nobis hic addere: sententiam eorum, qui hic describuntur, *Gnosticorum*, & *Manichaeorum* nomine, etsi historiae testimonium non addicit, tamen illis, iure ipsorum, fuisse liberam, nec eos impeditos fuisse, quo minus Christi salubrem prouinciam animis ipsis sic admitterent, vt a Iudaeorum illa impericia, & multis adeo Christianis, qui aberant a rerum moralium domestico studio, eximio intervallo seiuingerentur, & Christi essent probi & boni discipuli. Itaque non opus fuisse tam atrocibus

(13) Tomo I. de la Rue. pag. 839. *Wetstenius* e *Tertulliano* istos locos colligit.

litibus & odiis catholicorum in istos christianos, qui ecclesiae maioris auctoritati obsequi ea in causa, quae erat *historica*, nolebant, sed rationibus & conscientiae suae ipsi operam dabant. Talia enim dissidia iudiciorum de rebus externis, mentis eandem veram emendationem non tollebant (14). Utinam & hodie Christiani omnes cauerent, a laruis *orthodoxiae ecclesiasticae*, quae salutem animi & propriam & aliorum dicitur sola secum ferre (15).

Sed iam ad *historiam* breuem *interpretationis* pergimus, quae nostro tempore eo videri potest utilior, quia non parum abesse solent plerique tractatores iuniores ab ista pristina patrum graecorum Latinorumque faciliori disciplina. Non recensetimus iam longo ordine *Pauli* claras sententias, quae legem Mosaicam tantum populo illi vni, Iudaico, datam esse edicunt (16); minime vero ad alias gentes pertinere, quae legem in animis scriptam omnes habeant, mosaica illa minime inferiorem. Sic autem antiquissimi plerique omnes doctores statuerunt. *Irenaei* possent plurimae & copiosae sententiae ex libro 4. describi; sed sufficit cap. illud 13, quod iam attigimus. Dominus naturalia legis, per quae homo iustificatur, quae etiam ante legisdatorem custodiebant, qui fide iustificabantur, *non dissoluit, sed extendit & implevit*; — quid autem erat plus? Non tantum in patrem, sed & in filium eius, iam manifestatum, credere, qui in communionem & unitatem dei hominem inducit. Deinde, non solum dicere, sed & *facere*; & non tantum abstinere a malis operibus, sed & *a concupiscentiis* eorum: — necesse erat, *superextendi* decreta libertatis — omnia naturalia praeccepta communia sunt nobis & illis; in nobis autem *augmentum* & adimplerionem perceperunt. C. 15. deus, Hebraeis libertate (naturalium

(14) Nec locus de perfectione scripturae sacrae & integritate hic aliquid valet, contra talia iudicia, de partibus scripturae veris aut non veris.

(15) Ceterum, *variantes nullas omnino* hic locum habuisse, videtur memoria dignum.

(16) Hoc & eruditiores omnes patres, scholastici etiam, luculenter tenent; potius Iudaeorum causa, & ut antiquo tempore conveniebat, legem naturalem repertius copiose.

r alium legum) aburentibus, concupiscentiam grauiori legis mosaicas iugo refrenare, & leges quasdam particulares, ob duritiam cordis eorum, statuere necesse habuit. — C 16. non circumcissione, nec caerimonia virtute *collatam esse perfectam iustitiam*; sic & sacrificia, c. 17. Patriarchas & prophetas viam muniisse ad Christi fidem, Ioh. 4. 35. Eadem est *Tertuliani* doctrina (17), tum aliis in libris, tum in isto *aduersus Iudaeos*; hic similiter negat *circumcisioni* inuisse aliquid, quod nostri solent feriori tempore *sacramentalem* dicere *efficaciam*; atque nec nos pudet hic fateri, multo magis conuenire hanc descriptionem cum disciplina Pauli, & silentio Iohannis, & Christi, de gratia illa sacramentali, seu *πνευματι*, quam vulgatam illam Theologorum iuniorum sententiam: quae videtur tantum non eo consilio multis placuisse, vt *paedobaptismus* eo facilius, ista similitudine, confirmari posset (18).

Multa eius generis ex *Clemente*, alex. & *Origene*, atque graecis plerisque scriptoribus, colligi possunt, qui solent *λογος* illam descriptionem scribere omnes repetere, & *το λογικον*, cuius oppressam apud Iudaeos & alias gentes vim deus variis ministeriis & subsidiis adiuuerit, per *Mosen*, prophetasque, per *Poetas*, *Philosophos* etc. Christi vero doctrina & exemplo longe auctiora ista praecepta patuisse. Huc praecipue pertinet *Eusebii* Caesariens. praepar. euang. lib. I, cap. 5. (19) A Christo restitutam fuisse illam *ἐνσθεθειαν*, quae fuit antiquissima, Abrahami; qui c. 6. nec circumcissionem, nec Sabbatum etc. obseruarit; a Mose vero *Iudaeorum* causa multa praecepta esse; eius enim *νομος* (20) *παρεισθησαν, οια τις επιτροπος και οικονομος και Ιατρος νηπιων και ατελων ψυχων*,

(17) Cui adfuit sunt varii panni, vt iam diximus. Bonas paucas sententias habet, atque eas inter & hanc.

(18) Solent & *scholastici*, post patres, statuere: non *contulisse ista*, quae recte dicuntur solito stilo ecclesiastico veteri, *sacramenta*, gratiam eam, quae confertur per sacramenta christianorum. *Polemicum* illud argumentum enasit, vt scimus, quasi nihil recti a scholasticis aut *Romanis* doctoribus dici possit. Similiter recte negabant idem *baptismo* Iohannis.

(19) Idem *Eusebius* in Psalm. 2. *πληρωτης* legis Mosis venit, & per ipsum *τελες ετηχθεν τα λογια των προφητων*, vt ipse dicit, *non veni etc.*

(20) Rom. 5, 20. hic bene illustrat.

ψυχῶν. Moses enim ὡσπερ ἐκ βαθε κακῶν ἀνιμαρμενος — c. 7. per Apo-
 stolos Christus docuit *simul*: ea, quae a Moſis erant, aliena aut inimica
 non esse, sic & nouam & cunctis hominibus salutarem νομοθεσίαν com-
 mendans, vt dixit, *non veni legem soluere* &c. sed ea, quae gentibus
 conuenire non poterant, gentibus imponi noluit; sic *compleuit* & le-
 gem & prophetas, cum perduxit ad exitum, quae de ipſo scripta erant,
 de nouo foedere &c. Sic *Constitut. apostol.* lib. 6, c. 20. quae fit lex
 naturalis, & quae ἐπιτακτος. C. 22. Christus τὸν νόμον κυρώσας ἐπλη-
 ρώσῃ, τὰ ἐπιτακτὰ (21) περιειλεν, τὸ ἀντεξέσθαι πάλιν ἀφῆκεν ἐλευθερον,
 cap. 19. non enim soluit legem, sicut *Simon* statuit, sed ἐπλήρωσῃ &c.
Chrysostomus in h. l. quia μείζονα τῶν παλαιῶν iussurus erat — ἢ τε νόμα
 προδῆκη, praemissam haber hic προδιεθῆσιν. Prophetas ἐπλήρωσῃ, confir-
 mans ea, quae de eo praedicta erant; rebus & euentibus; *legem* vero,
 1) nihil legalium transgrediendo; 2) nobis largiendo per fidem, vt le-
 gem perficeremus, 3) per νομοθεσίαν suam, quae est ἐπιτακτος & πλη-
 ρώσῃς superiorum legum. Versum 19. explicat de Christi νομοθεσίᾳ, hoc
 enim ἦν τὸ περισσόν, ne irasci quidem, ne irasci quidem, mulierem non impudice aspiceret.
Theophylactus breuius sed clare: *καὶνός νόμος εἰταγῆν*, vt Christus ipse
 addit, *μειζόνων, ὑψηλοτέρων ἐντολῶν*, tempus fuit. In *catena* (22) in
 Matthaem, *Chrysostomi* nomine affertur alia expositio: *προδεδίς* Chri-
 sti & ἀναπληρώσῃς fecit, vt quidam suspicarentur, igitur ἐλλίπῳς ἔχοντα
 ἐπλήρωσῃν, negat hoc auctor, & pictoris similitudine illustrat; *προεσκί-
 αγραψῆ καλῶς καὶ τελείως*, postea addidit *τελειότητα & ἰψὰ χρωμάτα*.
 Eius generis comparatio exstat ibidem *Photii* nomine, qui addit: Chri-
 stus εἰς ἀκριβείαν ἠγάγε, ἐθεραπεύσῃ καὶ τετελείωκεν. Est autem constans
patrum omnium illa disciplina, legem illam Moſis, scriptam esse *tan-*
B 2 tum

(21) τὰ ἐπιτακτὰ, vt distinguit *Prolemaci*, Gnostici epistola, cuius excerpta ex-
 stant ex *Epirhanio*, tom. 2. *polemic. Baumgartenianae* praemissa. Sic distinguntur
 τὰ ἀληθῆ τῶν γραφῶν, in *Clem. Homil.* 3, n. 5. cum *Simon* diceret, *Moſis*
 libros τοῖς ψευθεσι mixtos. Sic & *Chrysostomus*: *προστιθέντων τῶν ἀρχόντων*
 legi *Molaiacae*, *Iudaei* ἠνερχοντο.

(22) Tomo I. *Tolosae* 1646. sed vix suspicione caret hoc corpus, vt istud alterum in
Marcum; recentioris diligentiae vestigia non obscura inesse videntur.

tum (23) Iudaeorum, esse imperfectam, atque ad Iudaeorum ingenium isto tempore adaptatam; itaque non opus est, nos plura Graecorum nomina recensere. E latinis sufficiant ista. *Hilarius* (24): lex — omnia in fidem eorum quae in Christo erant reuelanda, concludit — sub velamento verborum spiritualium, natiuitatem &c. Christi, locuta est — ne existimarem, aliud in operibus Christi esse, quam contineretur in lege, dixit, non soluere se legem — . Opus legis coepit extendere (sic *Irenaeus* & *Chrysostronus*), vt non dissolueret eam, sed profectu potiore praeccelleret — profectu ea, non abolitione, transgreditur (25) &c. *Hieronymus* in h. l. siue, quod de se per alios prophetata, compleuerit; siue, quod ea, quae ante, propter infirmitatem audientium rudia & imperfecta fuerant, sua praedicatione compleuerit; iram tollens, vicem rationis excludens, & occultam in mente concupiscentiam. Sic fere omnino *Augustinus*, libro isto 17 contra Faustum, sub finem: *Impletur*, vel cum sunt, quae praecepta sunt, vel cum exhibentur, quae prophetata sunt; *lex per Moysen data est, sed gratia & veritas*, per Christum: gratia, ad charitatis plenitudinem (nempe, haec legi deerat, quae Iudaeis tantum data fuit); *veritas*, ad prophetiarum impletionem pertinet. Operae pretium non est, ex *Augustino*, aliisque plura hic repeti; per manus enim tradita fuit eadem disciplina, de discrimine legis mosaicae, iudaicae, & legis creatoris, s. naturalis; de perfectione legis seu religionis Christianae, prae mosaica & naturali; de quo argumento *scholastici* plerique solent copiose tractare. Atque mirandum est, vel recentiores recessisse non raro ab ista disciplina, e. c. *Thomae* (26) quantum ad illa, quae lex verus continebat, de lege naturae, *omnes homines tenebantur ad obseruationem veteris legis; non, quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturae* &c. Etsi enim illam *scholasticorum* diuisionem *praeceptorum*, in *moralia, caerimonia-*
lia

(23) Sic & scholastici recte tenuerunt: *gensiles* ad praecepta naturae obligatos, non ex lege veteri; nec eam legem excludere quemquam a cultu dei, sed a ciuitate Moysi.

(24) in *Matth.* canone 4.

(25) Sic plane *Chrysostronus*, homil. in *Ioh.* 38. tom. 8. *Montfauconii* edit. (aliis 37 est) ε παραβαντων τον νομον, αλλ υπεβαντων. Videtur uterque debere *Origeni*,

(26) in 2. *Ildae* qu. 97. artic. 5. respondeo.

lia, iudicialia, omnes retinuerunt, quam etiam compendia atque *systemata dogmatica* solent recitare studiosissime, cum aliis similibus doctrinae salubris & facilis impedimentis sedulis: rara tamen est illorum vox, qui *Mosē* nihil quicquam ad omnes alios populos, ergo ad nos etiam christianos, pertinere professi sint. Multi potius, nisi plerique omnes superiorum temporum theologi, quasi salubris doctrinae partem commendare solent: impleuisse Christum *legem Moysi*, quia homines eam implere non potuerint, *hominum loco*; opus esse *lege Moysi*, ad peccati veram & liberalem cognitionem; etiam christianos uti debere *lege Moysi* ad voluntatem dei & virtutem veram perficiendam; Iudaeos plurā cognouisse *rerum moralium*, ex ista *Mosis lege*, quam ceteras omnium temporum gentes &c. Nos autem non id nobis sumimus, ut reprehendamus arrogantius bonos viros; sed officio nostro fungi studemus, pro nostro modulo, atque conferre aliquid, ad veriorē talium rerum cognitionem, quae *Christianismo* ingenio propagando haud dubie magis prodest, quam memoriae illud fidele ministerium, quo ea quasi ad omnes omnium temporum homines consecrantur, quae superior aetas, pro suo modulo, in rem communem christianam contulit. Audemus igitur statuere, nec ista X. praeceptorum recitatione semper nostris opus esse, licet latina illa ecclesia sic soleret catechismum colligere, in gratiam rudium atque omni ingenii cultu carentium; nec illo loco *de lege Moysi* tantum operae dandum porro esse, quantum solet in compendiis dari; cum sit *historiae iudaicae pars*, non *doctrinae* perpetuae exemplar. Concedimus, seculo XVI *Lutherum* & alios, iure suo, tractasse studiosius & copiosius istos articulos; licet non ignoremus, *Lutherum*, *Melanchthonem* & alios fuisse inde ab a. 1520 seq. eiusdem fere sententiae, ac fuerunt quidam alii, quorum nomina postea non carere videntur infamia. Post illa vero *Antinomorum*, ut dicuntur, certamina, mirum non est, stabilem quasi disciplinam exortam fuisse, *Formula illa concordiae* praecipue confirmatam; quae libris istis, de iustificatione per *imputationem* obedientiae, & *satisfactionis* Christi, inde ab *Osiandri* & *Stancari* sententiis, & *Socinianorum* praecipue variis scriptis, grauitatis magnam speciem habere facile videbatur. Nam & huius nostri carminis interpretatio sic fiebat, ut

aduersus *Socinianos* defendere posset vulgatam satisfactionis formulam. Sed de ea re iam non licet hic agere copiosius; quibus tantum esse videtur, facile rem sic se habere inuenient, si vel istorum auctorum libros euoluant, quos *Prucknerus* (27) nominauit.

His igitur praemissis progredimur ad ipsam interpretationem, quae quidem breuiorem nexus indicem a nobis exigit. Cuilibet argumentum capitum priorum vel obiter tantum perpendenti, facile patebit, Christum baptismi caeremoniam subiisse, tum, ut ostenderet quantus homini ipsi oportebat, diuina auctoritate & publica ad alios homines confirmaretur; itaque & illa confirmatio e caelis edita fuit, tu es filius meus dilectissimus, qua deus nouum doctorem ipse omnibus commendabat (28).

Sed & Christi agendi ratio haec confirmat; non prius Christum doctorem egit publicum, quam caeremonia baptismi initatus fuerit. Nam & cap. IV. dicitur v. 17. Christus publice docere coepisse, & cap. nostro v. 2. describitur ut doctor. Cum vero doctoribus Iudaeorum tam peruerfa & docendi & agendi esset ratio, ut Christus v. 20. a regno caelorum eos arceret, qui eam porro sequerentur; praeterea scribae & Pharisei legem & prophetas male explicarent, ut vera *doctrinam*,
seu

(27) *Vindiciae biblicae*. Tom. 2. in hunc locum, numero VII: Scholastici in papatu & hos secuti Sociniani docuerunt: Christum in N. T. praecepta magis ardua et longe perfectiora tradidisse, quam fuerint in V. T. Implere, Matth. 5, nihil aliud esse, quam perfectum reddere, aut adde, quae desunt. Respondet autem cum nostris *Prucknerus*; legem implere, hic non est nouis additamentis legem (illam) Moysi, tamquam imperfectam, reddere perfectam, verum longe aliud significat; scriptura interprete. Itaque impleuit Christus legem moralem, ei satisfaciendo. VIII. Christus legem moralem nostri loco praestitit; illius enim (sic praecipue) adimplendae causa ipse in hunc mundum venit &c. Nomina theologorum, quibus etiam iuniores multi addi possent, hic non describimus. Notauit tamen *Heumannus*, *Budaeum* & *Weismannum*, non vfos tali interpretatione & argumento huius loci.

(28) Patres quidam huc sententiam transferunt e Psalmo II. *filius meus es tu, ego hodie genui* i. e. manifestauit, te; etiam in textum, euangelii nostri, solebant per scribere, vid. *Sabarerii* biblia Matth. III.

seu verus dei colendi modus indeque fluens studium sancte viuendi,
 non innotuerit hominibus: opus erat quam maxime meliori magistro,
 qui ad veriolem facilioremque dei cognitionem homines perduceret.
 Quo certius autem maxima pars legum, (praeter quaedam naturalia,) Iudaicis promulgatarum rem ipsorum publicam spectabat: eo facilius ratio in promptu est, cur Christus leges morales, quae omnes iam diu ante Moſen obligabant homines, diligentius commendare debuerit; cum Iudaeorum doctores pauca illa, quae supererant, praecepta, tot tantisque ritibus & institutis humanis, obscurare, & coeleste regnum aliis praecludere solerent: fieri aliter non poterat, quin discipuli seruatoris maxime difereparent a talibus doctoribus, quippe qui saniolem omnibusque hominibus, non Iudaicis tantum, accommodatam, doctrinam imbiberant. Hoc doctrinae discrimen vario euentu non caruit; multi lubenter audiebant, Luc. IV. v. 22. 23. Matth. VII, 29. sed & obtrectatores non deerant, haeredes odii in prophetas; itaque & praedixit Christus hic, v. 12; licet voluerit discipulos eadem sapientem methodo vti, qua ipse semper vsus fuit. Iam illud consilium Christus sequebatur, partim vt meliorem cognitionem, melioremque deum colendi modum auditoribus traderet; partim, vt praedicia ex animis hominum extirparet. Ne autem, cum nulla rituum & promissionum ad populum Iudaicum proxime spectantium, facta fuerit per illum commendatio, putarent discipuli, ipsum plane aduersari legi & prophetis: obuiam ire voluit Christus scandalo, quod impedire poterat, quo minus doctrina eius ab iis, qui tanta reuerentia prosequerantur legem & prophetas, libenti animo acciperetur. Hoc igitur consilio eam sententiam hic dixit Christus.

Missis itaque aliis, iam peruenimus ad ipsam eius explicationem. Praemiserat iam eximia atque grauissima praecepta de interioris religionis vera indole, quibus latius exponitur commendata illa per Iohannem *μετανοια*, ignora fere cunctis isto tempore hominibus; iam addit hanc sententiam: nolite arbitrari eo consilio me venisse in mundum, vt destruum legem & prophetas; libros, quos maxime amare videmini. Cum venerim *κατα τας γραφας*, certum est, earum me argumentum non euertere ipsum, aut illarum me hostem esse atque aduersarium. Atque haud dubie

dubie hic vnicus & optimus erat Iudaeos docendi modus; si attendere ad Mosen & Prophetas iubebantur: Ideoque de vera sui muneris & officii indole verba faciens, Iudaeos perscrutari ipsè admonet scripturas Ioh. V, 39, & ita quoque discipulos, de fatis Messiae huc vsque male instructos, e Mose & Prophetis studet arguere (Luc. vii.). Sic & Petrus hortatur, 2 Petr. I, 19. attendere ad *λογον προφητικον*, sed & addit, eum iam multo esse magis confirmatum & lumine quasi auctum, post quam Christus venit (29). Haec sunt *παράλληλα*.

Ad veram *τε καταλυσαι* significationem indagandam loca similia iuare poterunt. Nam licet Graeci exteri (30) verbum *καταλυσαι* pro abrogare vtantur; hic tamen paulo latius sumendum est; legem pristinae factis dictisue suis euertere. Ioh. X, 35. vbi phrasis *ε δυναται λυθη ναι η γραφη* nihil aliud denotat, nisi: non potest effici, falsum aliquid dixisse scripturam. Sic etiam Ioh. V, 10. occurrere videtur; nam Iudaei Christum accusabant, quod alios sanando *soluerit* sabbatum; Christus autem hoc ipso facto abrogare eum haud potuisset; ergo dicere volunt Iudaei, eius modi facta peregit, quae praecepto de sabbato plane repugnant & illud euertunt. Accedit autem & hoc, quod non solum Ioh. VII, 13. hanc significationem adhibeat, sed & Paulus Rom. III, 31. substituatur, quod illi responderet, *καταργειν τον νομον*. Sic & ipse contextus noster secum fert; nam id quod sequitur v. 19. confirmat explicationem nostram, quoniam *ποιειν και διδασκειν*, doctrinas easdem proponere & ad earum normam viuere, opponitur *τω λυειν τας εντολας*; seu contraria docendi & agendi ratione eas oppugnare. Hoc etiam confirmare videtur locus Matth. XVIII, 20. poenam nullam porro metuendam, licet antea homines metu sacro quasi prohiberentur; propius vero ille forsitan Matth. XV, 6. huc pertinet, vbi loco *καταλυειν* exstat *ακυρωσαι* vim omnem obligandi tollere. Cum hac autem significatione, illa *τε* abrogare facile conciliari potest, nam cuius legis vis obligandi iam negatur, eo quod contra eam agere licet: hanc quoque pro nulla, saltem a parte nostra, declaramus.

His

(29) Ita enim explicandus est ille locus; non vero sic: sermonem prophetarum esse certiore, quam *επιφανειον* in monte; licet vel Baumgartenius praetulerit in *theol. dogm.* istam interpretationem.

(30) Vid. Wolfius, Wetstenius.

His illustratis, facile parebit etiam vera verbi *πληρωσαι* significatio. Nam si attendimus ad Pauli verba I. c. Rom. III, 31. verbum *ισωμεν* opponitur *το καταργειν*. Quemadmodum hoc ibi significabat, legis pristinam auctoritatem omnem euertere, ita illud, tanquam oppositum denotare debet, legem continua & maiori virtute augere: sic in omnibus fere locis, ubi dicitur, *ινα πληρωθη το ενθεν*, id explicandum est verbum. (31) Similiter, cum dicitur *impletas esse* iniquitates, i. e. magis magisque auctae sunt. Et merito conferri meretur & illud, quod *πληρωσαι* significat *perficere*; vt apud paraphrastas occurrit Chaldaeos qui verbo *מלא* ita vsi sunt, vt significet *implere, perficere*, cui respondet *πληρω*. In pandectis talmudicis eadem frequens est significatio, quemadmodum *Gemara* ipse hoc nomine appellatur. (32) Pari ratione in nostro capite v. 20. vox *περισσευσαι* loco *πληρω* posita esse videtur, comma enim 20. ita debet explicari: nisi meliores doctores, quam Pharisei, vos exhibeatis, legem diuinam longe accuratius intelligentes & in maiores melioresque fructus adhibeatis, non estis ingressuri & cet. i. e. mihi parum vtilis eritis ministri, in illa noua religionis indole hominibus cunctis commendanda: nec ipsi partem habebitis; carebitis & ipsi, nouis iuribus & beneficiis dei. Forte & Matth. III, 15. sic explicandum; hac ratione publice a te initiatum me, oportet porro iam dare operam, vt longe meliorem religionem homines addiscant; vt Coloss. I, 25. *πληρωσαι τον λογον*, & Rom. XV, 19. Solent quidem plerique interpretes *δικαιοσυνην* intelligere ibi, legis me mandatis subici oportet; sed operae erit pretium, facere occasionem diligentioris examinis. Nos putamus, *περισσευσαν δικαιοσυνην*, & *πεπληρωμενην*, esse idem.

Ex

- (31) Vt iam multo magis confirmetur, & locum habeat illud, quod ibi iam dictum est: siue tum iam etiam euenit, atque iam tempore Christi multo magis idem dici potuit euenire: siue antea nondum euentu, vel minori, confirmatum.
- (32) Hanc etiam fouet sententiam *Viringus* lib. I. obi. sac. p. 200. nec non *Ame- lius* part. II. p. 705 seq. & *Hottingerus* ad disc. Gemaricum de incestu pag. 49. Ante *Viringum* huic sensui fauisti *Ios. Mede* p. 12. Operum, qui verbum *πληρωσαι* exponit, per supplere & perficere leges. Hanc significatio verbi *πληρωσαι* occurrit etiam II Ioh. 8. Marc. IV, 28.

C

Ex his simul sumptis colligi potest, in verbo *πληρωσαι* tam confirmandi, quam augendi, seu perficiendi aut supplendi inesse significationem, quae utraque significatio optime conuenit loco nostro. Nam in commatibus sequentibus 22 &c. mentionem facit Christus praeceptorum, quae a maioribus acceperant. Cum vero male intellexerint has leges Iudaei: & dilatare Christus voluit fines legum, & eas ex numero aliarum exemptas, in melius mutare. Penitus itaque aberat ab eius scopo, tollere leges, quae vlllo modo ad vniuersalem religionem propagandam iuuare poterant. Hanc ob causam profert ille in medium leges, quae potissimum erant deprauatae a scribis & pharisaeis, iisque aut aliquid noui adiecit, aut non satis firmata firmat, & melius explicat.

Iam *obiectum* ipsum, seu id, quod innuit Christus, perpendi debet. Ipse dicit: non veni soluere *των νομων η τες προφητας* &c. Quoties haec nomina in sacris litteris occurrunt, significant complexum sacrorum apud Iudaeos librorum. Sed libros singulos istos & in se spectatos Christus in mente non habuisse videtur; vt & *Luc. vi.* Cum enim maxima pars librorum, qui dicuntur lex & prophetae, eiusmodi consistant argumento, quod ad res politicas, & priuatas Iudaici populi pertinet: huius partis mentio in loco nostro explicando fieri non debet. Itaque loquitur Christus tantum de rebus moralibus, ratione omnium hominum. Inest nampe libris illis magnus historiarum numerus, quae tam ad ipsum populum pertinent Iudaicum, quam ad alias gentes. Hae narrationes, per earum naturam, solui a Christo non poterant. Quemadmodum enim effici nequit, vt res, quae factae sunt, desinant esse factae: ita quoque historiae, quae in libris occurrunt, eius sunt indolis, quae tamquam res facti solui & aboleri nequeant. De his igitur loqui non poterat Christus. Non solum autem historiae occurrunt in lege & prophetis, sed & praecepta, quae varii sunt generis, atque argumenti; (33) alia etiam prophetica.

Si

(33) Apud Iudaeos nulla est distinctio *argumenti*; leges illae, sunt illis *pariter* diuinae; & praecipuae omnes utilitatis; ideo etiam caeteras gentes quasi *improvas* continentunt, quia talibus legibus carent, licet *moralium* cognitione vel Iudaeos vincant. Seniores Christiani eam iam Moysi legem & ipsis datam putarent, repererunt distinctionem legum, *caerimonialium, ciuilium, moralium*; vt hac ratione

chri-

Si *prophetas* eorumque argumentum excutimus, similiter negandum non est, omnes ac singulos temporis ac auditorum rationem habuisse. Proponebant igitur ea tantum, quae captui hominum eius temporis, erant accommodata. Quapropter gradus vel discrimina rerum omnino in prophetis admitti debent. Licet autem non omnibus temporibus omnia dicta sint, quae ad meliorem illam inter homines religionem propagandam pertinebant: tamen hoc semper praecipuum prophetarum erat argumentum, quod non Iudaei tantum, sed & *omnes gentes* ad propiorem cum Deo coniunctionem perducendae essent; ei rei autem Christus destinatus venit; itaque non soluit, sed implevit i. e. res eas iam effecit; procuravit eam cogitationis & religionis conversionem; suscepit etiam ista in se omnia, quae cum provincia ista non coniuncta non esse poterant. Et hoc maxime confirmatur ipsis prophetarum effatis.

Ex his facile apparet, quid Christus solvere debuerit, nempe ea omnia, quae obstabant catholicae religioni; sed & cognosci potest, quid confirmauerit, & praecipue docuerit, nempe illa, quae eam efficiebant & iuuabant. Confirmavit igitur e praecipuis argumentum, quod Deus hominibus, secundum immutabilem felicitatis legem, ipsa iam rerum omnium conditione patefecerat. Nempe, ut ament eum *Os Isor Rom. I. 21*, & glorificent, quod efficit maximum praecipuum; porro Dei causa, ament etiam proximum; qui amor longo virtutis christianae satellitio stipatus est. Cum autem haec praecipua ita sint comparata, ut omnes in vniuersum homines respiciant; non opus est eorum stabili quadam forma externa, quae in libris Moysi habetur. Iudaismo igitur sublato, hoc tamen manet; sed quae particularem societatem a toto genere humano seunctam tangebant: aliis hominibus imponi non poterant, sine impedimento religionis catholicae. Auxit vero Christus,

C 2

&

christianismus a Iudaismo distinguetur. Sed cum iam sciamus, legem Moysi tantum Iudaeos obligare, & quidem externa obligatione: nobis iam non opus est illa diuisione. Hoc certum est 1) Christum *duxit* illa omnia, quae Iudaismum continuabant, & catholicae religioni obstabant. 2) *Impleuisse* autem partim, si quid inerat *symbolici*, luculenta doctrina; partim rebus gestis ipsum praestitisse, inde & *duxit* successit umbrae.

& longè luculentius explicavit istam legem moralem (34) quae apud ple-rosque homines vix obscurius superfuit, vitiorum consuetudine obruta; apud Iudaeos autem isto tempore praecipue impedita variis traditionibus fuerat. Et hac ratione, noua quoque addit seruatur. Ignorabant enim plerique Iudaeorum, cum essent σαρκῖνοι, illud plane Christianum praec-ceptum, de Deo in spiritu & veritate adorando. (35) Quapropter Chri-stus ad μετάνοιαν informare debebat Iudaeos, ne porro errorem tuerentur, quod ipsis tantum data sit facultas, optima cognitione Dei vtendi, & hac imbutis recte eum colendi. Haec omnia vero Christus efficere haud po-tuisset, nisi resellebat praecudicia Iudaeorum, de filiis Abrahami; putabant enim Iudaei ex imperitia & ignauia morali, posteris tantum Abrahami κατὰ σάρκα, ius proprium esse filiorum Dei, ideoque maximo gentes prosequerentur odio.

CAPVT II.
DOGMATICVM.

Quo foecundior est illa Christi, quam explicare studiuimus, sen-tentia, eo magis oleum & operam perdidisse videri possemus, nisi praec-ceptua, quae ei insunt, momenta scilicet breuiter in succum & sangui-nem conuertere vellemus. Faciet itaque hoc aliquid ad illustrandam doctrinae nostrae (praecipue acroamaticae) publicae modum; eumque, sic

(34) Sua scilicet doctrina, Euangelio; quod semper ex vsu SS. complectitur simul le-gem aeternam; itaque seculo 16. non opus erat istis disputationibus, aduersus *Philippistas*; & articulus 5. 6. *Epitomae* & *declarat.* Formulae concordiae ho-die exigui est vsus.

(35) Fateatur Christus, Abrahamum, & Davidum, aliam religionis imaginem amasse; το πνευμα τα χεῖρα i Petr I, 9. per Dei scilicet varias ἐνεργείας, quae nec inter gentes plane detuerunt; inde rerum moralium eximia cognitione quidam vsi; sed ausi non sunt facili doctrinae populatum emendare; de hac causa multa *Clemens, Alex. Origenes, Ensebius*, in praeparatione, *Theodoretus*, alique patres solent affirmare: quae posteriores, sine iusta ratione, quasi obliuioni tradiderunt, aut ob-stare putarunt commendationi religionis illius christianae, quae per secula poste-riora non parum fuit infucata. Tales doctores enim, qui tam probos christianos, *Waldenses, Huguenotos*, tam barbaris modis trucidarunt, vel *Socrates, Aristoteles*, & alii Philosophiae & iustitiae peritiores ministri, summo pudore affectissent; ideo porro multa mysteria sensim illata fuerunt, quibus tamen Ethnicos probilli-mos christiani facile vincere posse, putarentur. Hoc erat Pharisaorum imitari religionem & improbitatem.

enim hominum studia comparata esse solent, continua ad nos & nostrae aetatis homines utilitate augendum. Nec enim Pharisaeorum *παράδοσις* & formulam sacri iuris Christus ad nos transtulit; libera certe est cognitio theologica, & incrementorum continuorum, suo nostroque iure, capax. Ipsum publici muneris sui initium Christus sic fecit, ut interioris religionis vim & indolem accuratius describeret, per totum hoc caput V. iustulit igitur eius generis, quae tum praecipue apud Iudaeos valebant, impedimenta: quorum fere agmen duxit vana illa persuasio: quia tot libris sacris ipsi uterentur, in quibus deus locutus sit, quibus ceterae gentes careant: ideo ipsorum religionem deo maxime dignam, & deo vnicè acceptam esse. Nec est, quod miremur, ita egisse Iudaeos, quoniam de meliori dei rerumque diuinarum cognitione parum solliciti erant. Quoties enim iam Prophetarum verba suo tempore faciebant de turpissima & improbissima gentis huius agendi & vivendi ratione: toties infensissimo animo erant in viros diuinos, eosque & ignominia & morte saepissime afficiebant. In numero & multitudine librorum XXIV. praerogatiuas prae aliis gentibus inueniebant. Dat igitur Christus Iudaeis hac oratione studiosius operam, ut ne minori aut nulla istorum librorum, quibus parum bene utebantur, commendatione, eos ipso statim initio muneris offenderet. Potuisset enim deferre Iudaeos, quo minus vel audirent eius salubres doctrinas, qui hos libros, deum omnino omnes pariter habentes auctorem, parui aestimaret. Hac mente dicebat igitur seruator, se non venisse, ut legem & prophetas (*ἐλεως*, simpliciter) soluat. Huc omnino trahi potest, quod Christus dicit Ioh. V. 39-47. Utitur igitur recte, *κατ' ἀνθρώπων*, ista Iudaeorum magnifice de lege sentiendi consuetudine: ut animum Iudaei aduertant facilius. Igitur & alios homines similiter oportet animum aduertere: ut Christus hic Iudaeos iubet mentis vim adhibere, ut perciperent: verum esse, Christum doctrina sua non *λύσαι* sed *πληρωσαι*. Sed satis iam constat, hoc utrumque *λύσαι καὶ πληρωσαι* referri quidem ad istos Iudaeorum libros sacros; sed non simul secum ferre: ut omnes homines, libros istos omnes, Iudaeorum manibus traditos, pari veneratione accipiant; nullo obseruato discrimine, quod solent *σαρκινὰ* facere Iudaei. Nam, qui non Moysen, sed Christum sequimur, aliis conuincimur argumentis; nempe

internis, de veritate Christianae doctrinae, itaque non opus est, vt de omnibus libris nos feramus eandem sententiam, quam Iudaei, per imperitiam & *κατα σαρκι*, ferre solebant. Ius fas potius est, si quis narrationes rerum earum, quae ad omnes homines non pertinent, atque priuatae quasi & domesticae Israelitarum fuerunt, ipse intelligat, abesse a religionis perfectiori, quam sequitur, indole: longo minori in loco eas habere, quam solent antiqui & recentiores Iudaei. Christus enim informat longe perfectiorem Deum colendi modum, qui ad omnes homines extenditur, quem Pharisei & librorum istorum inter Iudaeos interpretes, minime sibi persuadere possunt; quia desunt quaedam iis libris, quibus iam opus est. (36) Oporter igitur nostram intelligendi & iudicandi rationem, differre ab ista Iudaeorum. Nec videtur Christus ipse summo in loco posuisse dissidia, inter ipsos Iudaeos & Samaritanos, de *canone*, isto iam tempore vulgata; licet hi libros tantum Moses admitterent. Igitur non omnino opus est, vt omnes Christiani omnes eos libros sic ad Deum referant auctorem, vt faciunt Iudaei, a vera in Deum religione tamen magis, quam alii homines alieni; aliud est, licere, pro varia cognoscendi facultate; posse Christianos, hos illos, sine damno, immo cum suo ipsorum commodo, istis libris cunctis & hodie vt; i. e. iis inferre christianam indolem, quae aut non inest, aut tam clare non inest. Christus certe hic loquitur tantum de iis partibus istorum librorum, quae *λυσι* aut *πληρωσι* admittebant; quae ad homines, quod ad interioriorem religionem attinet, impediendos aut adiuuandos facere poterant; non sunt autem eius generis illae historicae multae narrationes, quae libris istis Moisaicis & prophetarum, quos solent *priores* dicere Iudaei, comprehensae sunt. Ista autem res historicas Iudaei solebant, auorum iam vitioso iure, tanti facere: vt his ipsis quasi documentis iurium suorum, aduersus omnes alias gentes, imperite & turpiter abuterentur. Stupor ille eff illiberalis, non vero religionis, quae sit ingenua, vera praestantia; atque facit illa Iudaeorum imperitia atque ignauia, quum a gentium ceterarum consuetudine omni inepte, quasi Dei & religionis causa, abhorrent: vt ignorant historiae aliarum gentium praecelara multa argumenta, quibus & hominum vitia solita reprimebantur, & animi illa tur-

(36) Ideo Paulus saepe dicit *μωσει*, & *σοφίαν θεο* *ἀποκινδυνώμεν*, 1 Cor. 2.

pis negligentia arguobatur, & Dei sapiens & certa in omnes homines, (non in solos tantum Iudaeos), providentia luculenter commendabatur. Vtatur igitur & nos Christiani istis historiis: sed sicut nos possumus, & minime eas ideo consecramus, quia sunt in istis hebraicis libris narratae, nec diuini quasi ingenio augeamus, quod non in istis historiis humanarum rerum aliis, licet non hebraice scriptis. (37)

Itaque & illa tractatio, quae nostrae aetati dat operam, e. c. de *scriptura sacra, de lege*, eiusque *usu*, quem *triplicem*, seculi XVI. disciplina commendauit, de *tertio* autem eius *usu* etiam *formula concordiae* multa reperit, quibus hodie parum inest utilitatis: non tam magnifice debet reperere ea, quae ad Iudaeorum disciplinam illam, vetustam quidem, sed illiberalem, faciunt. Ex doctrina Christi, Pauli, & antiquiorum seculorum, *Mosis libri* a Deo tantum sunt *Iudaeis destinati*; absunt a perfectioris religionis, quae est omnium hominum et temporum, indole, atque ad Christianam iustam disciplinam eximii beneficii aut ministerii parum porro adferunt. Itaque & *nouum* religionis *ordinem* Christus praecitit, de quo iam iam Prophetarum votis omnibusque laetis portendebant; ideo ipse Christus dicit, Matth. XI, 13, *εὐσ λειωνε*, tantum locum habuisse illa prima ministeria; idem confirmatur Ioh. I, 17. 18. atque ex Ioh. VII, 22. ne circumcisio quidem Mosis auctoritati debetur; quae iam patriarchis, qui legem non habebant scriptam, usitata fuerat. Ex his similibusque locis praefertim ex epist. Pauli ad Rom. Galatas, Hebraeos &c. & praecipue ex nostro, ille articulus, erat informandus; ut appareat, eximia legis vniuersalis inter plerasque gentes (38) noticia, quae Iudaeorum ignauiam non raro vicit; atque sic illa per Christum facta noua accessio, quae peccati grauitatem & illam viam ad *περισσευσαν δικαιοσυνην* nobis tam facilem exhibet, seu *πνευμα* & *τελειότης* christianae disciplinae, luculenter commendari possit. Sic nouus religionis, quae est multo & perfectior & facilior, ut debebat, ille ordo, cuius auctorem Deus

Chri-

(37) Audeamus longius discedere a via illa lata & trita; sed, nisi fallimur, non sine ratione. Numquam e. c. in N. T. historiae *Sinsonis*, *Estherae* & similes vili sententiae christianae iunguntur; quia non possunt; si quis *εὐστρομην* illam & Iudaeorum indolem diligenter obseruat.

(38) v. *Aegyptios* (teste Iablonskio) *Perfas*, *Graccos* etc. Desideramus *moralium* *notionum* historiam, quae ad illustrationem N. T. non parum faceret.

Christum esse voluit: haud paulo facilius, honorificentiusque comparari cum Iudaismo & Naturalismo poterit. Porro, lege & prophetis istis non dici possunt contineri illa ipsa praestantiae, quae est christianismi, documenta atque argumenta: quam populo vano & inculto indicari tantum quasi e longinquo, & promitti futuris seculis; ut locum habeat illud ἐλθεσθης δε της πισσεως Galat. 3, 25. (39). Et si Christus & Apostoli ad Iudaeos, isto tempore, sic his libris utuntur, ut occasione etiam sibi fecerint, ad Iudaeos facilius commouendos: tamen, si *Graecos* Iudaeos hic omittimus, qui animi excitandi aliis adiumentis minus carebant, ad ipsos *Palaestinianos* Iudaeos, vel ea ratione, parum profici potuit. Adeo opus est torporis consuetudinem & longam moralium rerum imperitiam sapientie institutione tandem conuelli, ut notionum quaedam varietas & praestantia intelligatur. Aliter vetusta illa sacra superstitio facilius secum fert, ex istis libris impedimenta, ut Iudaeis accidit; quam adiumenta christianae religionis. Ea omnia certe, quae Christus prodidit longe clariora & perfectiora, debent praecipue ad praestantiam Christianismi commendandam adhiberi; sunt igitur Christo propria haec decora. Ex istorum autem genere, si qua non omnino absunt ex illis Iudaeorum libris, ut partim paucorum exemplis proposita dici possunt, partim *Psalms* & quorundam seriorum prophetarum sententiis informantur: tamen e cetero corpusculo, quod Iudaei pari & aequali auctoritate auxerunt, magnam porro segniorum & minorum decretorum partem Iudaei sic animo infixerunt, ut nisi ista omnino seiuergere atque abicere discant, auita mentis vitia exuere, & meliorem religionis formulam amplecti non possint. Nonne autem nos Christiani, eo quod omnia christiana fere dogmata in V. T. reperiri putamus, & hac ratione nimium his libris tribuimus pretium, impedimus Iudaeos, quo minus moderatius sentire de suis sacrorum adiumentis discant? Inaque omnes Christiani utuntur quidem, pro suo quisque modo & loco, legis & prophetarum

(39) Licet paucis obseruare: quae dici solebant olim, non sine magna specie, de usu legis Moisaicae παιδευτικω, ex Gal. 3, ut nos quidem intelligimus, minime effici posse. Paulus dixit: fuisse illam legem Iudaeis loco Paedagogi; sed non dicit, porro contrarium esse hoc paedagogi ministerium, usque ad iustitiam conversionem omnis hominis. Legis moralis catholicae hoc est; sed Paulus loquitur de lege Moisi, apud Iudaeos in loco iusto ampliori habita; hanc auctoritatem dicit iam nullam esse, ἐλθεσθης της πισσεως, christiana meliori doctrina.

tarum illis libris: sed maxime cauere debent, ne Iudaismi veteris illa mediocria rudimenta, parum vtili opera, conuertere in praefidia Christianismi adfuecant, aut corrumpere adeo fermenti quadam vel parua parte, *την αληθειαν την εν Χριστω*, vt Paulus ipse istos admonet *Galatas* 5, v. 9 seq. Paulus enim nihil eius rei confirmauit, legem Mosaicam valere ad alios omnes homines, qui Christiani futuri sint; potius omnino atque sine circuitione legem & vetus testamentum negat, Christianis porro praefare ministerium salubre; ideo Christus *per spiritum* ducere promisit Christianos *εις πωσαν την αληθειαν*. Solent quidem Theologi Paulinas sententias sic explicare, vt de lege *caeremoniali* tantum intelligantur, *moralis* vero obligationem porro Christianis incumbere dicant. Sed videtur omnino verior esse interpretatio, quae hanc recentiorum temporum distinctionem, non transfert in Pauli epistolas. Iudaeis *δ νομος* est illud corpus vniuersum, siue scripturae totius ipsi sacrae, siue Mosis; & Iudaei longe maioris facere solebant, & praecipue legis nomine designabant, eas partes, quas nostri *caeremoniales* solent dicere. Manet, quae semper fuit, legum Dei vniuersalium, obligatio; sed illa non oritur, aut repetitur ad nos *ex legislatione Mosis*. Haec ad nullum alium populum pertinet, quam ad illum Israelitarum, qui Mosis auctoritatem recte patiebatur. Ceterae enim gentes hauriebant, non ex Mose, sed ex fonte, cuius Paulus Rom. I, 19. 20 facit mentionem.

Pertinet autem & hoc *πληρωσαι* ad *interpretationem* multarum phrasium imaginumque, quae ex ipsa Iudaeorum longa consuetudine desumptae sunt; quaruero vero significatio iam longe nobilior nobis, si christiano omine & iure vti-mur, praesferenda est. Quaecunque enim a Christianis & melius & vtilius informari possunt, ea praesferenda sunt iis, quae solebant a Iudaeis humiliter atque imperitiis, licet sub falsa opinione religionis praecipuae, describi. Correxerit Christus ipse multa Iudaeorum vitia intelligendi, legem & prophetas melius explicando; etiam Paulus pluribus decretis suis; sed, vt licuit; itaque, cum non omnia pro ratione temporum dici poterint, videntur superesse adhuc, quae interpretum potius diligentem curam & attentionem exspectant, quam *dogmatici* studii, a maioribus accepti, stabilem consuetudinem. Hic *libertas* christianae mentis praecipue valere debet, *μονον μη εις αφορμην τη σεαυτη* illa abutatur; aliter *η πλει* omnes manent, *τελειαι* pauci sunt, aut nulli. Est enim & hic verum est, *γνωσιν* non esse *εν πωσαν*, tamen hic nulli sunt limites externi, sola conscientiae & cognitionis auctoritas fines ponit & docendi & discendi, *Rom.* 14, 23. Aliter publicam vtilitatem discerentium respicimus, aliter priuatam; aliter Theologi instituuntur, aliter Christiani; vt Christus aliter locutus est cum plebe, aliter disputauit cum pertinacibus.

Porro, non opus est omnibus hominibus & gentibus, diligenter aut sollicite hodie vti libris Iudaeorum sacris cunctis, quasi fontibus praecipuis melioris doctrinae

nae. Multi enim, si animum adhibere discunt, moralium praeceptionum illam societatem iam ipsi, his illis adiumentis, cognouerunt; his non opus est continua auctoritate Moysi aut librorum ceterorum; liberum est, eligere eos libros, aut eas librorum partes, quibus se vtiliter iuuari posse intelligunt. Multa enim tam sunt temporis & populi propria & characteristica, vt praeter historicam cognitionem nobis nihil adferant; vtilitas autem, si non abest omnis, adfertur & infertur potius a nobis, qui christiana mente fruimur, quam effertur; quod certe non est interpretis casti. Interna enim illa conscientiae vis, quae obligationem imponit menti, non augetur ex isto sic coniuncto corpore, quod vel Iudaeis vix mediocrem vtilitatem porro praestat; historiarum vero narrationes, earumque cognitio, nisi animus melius aliunde adiunetur, nihil secum fert *πνευματος* & diuinius impulsus; aliter Christo & nouo foederi locus ille non fuisset. Christus i. e. doctrina illa, cuius auctor & argumentum simul est Christus, legis istius & prophetarum est *τελος*, nec aliquid ad *δικαιοσύνην* hominum, ad iustam & veram religionem porro requiritur, quam *πιστεύειν εις Χριστον*. Hoc non secum fert, vt Iudaeorum opiniones, vel sacras, nos etiam religioni nostrae immisceamus; eas potius scripturae partes conuenit nos magni facere, quas illi ex pertinaci vitio, minus amant; intelligendi autem & cogitandi modum sequimur eum, qui nostris temporibus & adiumentis conuenit. Christus enim praeter *χρονος* *θεου* etiam *αληθειαν*, ad omnes homines, protulit. Haec *αληθεια* nihil eorum neglexit, quae legi prophetisque inerant catholica; proiecit autem omnem Iudaicum eiusque adiumentum, quia homines omnes, qui nolunt ad Iudaeorum externam pertinere societatem, impedirentur magis, quam adiunarentur istis medioeribus opinandi ministeriis. *Επληρωσεν* autem Christus doctrinam & religionis indolem; vt iam & longe perfectior legum diuinarum vniuersalium cognitio non desit, quam ex vetustis illis Iudaeorum libris profecto haurire non licebat; & de summo Deo in nos fauore dubitare non possumus, postquam Iudaeorum inimica in alios homines decreta, Christus vel moriendo & resurgendo a mortuis, refutauit. Sic de praeteritorum peccatorum venia hominibus omnibus, per Christum, luculentissime constat; *εγεννηθη* enim nobis Christus, (& ea omnia, quae eius historia & pronuncia ingenua continentur, id efficiunt, vt id certo credamus,) & quidem *απο θεου, σοφια, δικαιοσυνη τε και αγαπης και απληστρατος* I. Cor. 2, 30. His decoribus frui & vti nobis contingit, sine lege Moysi & tot aliis libris, qui Iudaeorum sunt proprii; horum igitur ministerium non tam ad nos porro in christianismo iunandos, quam Iudaeos ab illa imperitia & segnitie reuocandos, praecipue pertinet.

AESTVMATISSIMO BRVN

S. P. D.

IO. SALOMO SEMLER.

Malo breues litteras adiungere *Tuo* libello, quam nullas, etsi vix istis scribendis me parem inuenio, variis ex causis. Argumentum scriptionis & ipse elegisti, noua cura profecto dignum, commodum etiam & frugiferum; & ipse illustraeras tam copiose, vt multorum resecandorum auctor *Tibi* fuerim, ne libellus mole sua nimis excreceret; tantum abest, vt ipse multa ego addere potuerim. Liberalem mentem, spero, bonis omnibus *Te* facile probaturum; illi enim laetari solent & spem bonam concipere, licet intelligant, ad eximiam perfectionem quaedam adhuc incipientibus deesse. Quod autem ad difficiliore s attinet arbitros, si quid hi sedulo & studiosius reprehendant: rogo, vt mihi totum tribuant, cuius electionibus & sermonibus quaedam hausisti eius generis; hic tamen, vt arbitror, ita circumscripta & illustrata, vt academicis talibus libellis ius fas esse solet. Superest, vt *Te* hortor, quia lubenter pateris, vt illam piam & liberalem mentem porro deo totam consecrare studeas, secutus veram illam sapientiae salubris viam, quam dei sanctus ille in animo metus monstrat. O felices iuuenes! qui tam praeclearo & praesidio & adiumento fortunatae vitae potiuntur, quod eos a profana ista & improba plebe seingit. Agnosces dei hoc eximium beneficium, quod integer vitae scelerisque purus academico studio iam laetus exis; dabisque, quam debes grati animi causa, operam, vt quam plurimos homines ad discendam amandamque *suas* christianam studiosius adducas. *Vinariae*, quam urbem *Te* petere intellexi, antequam domum redes, meo nomine salutem dicas, rogo, vt potes maxime honorifice Venerabili *Basilio*; filio etiam, patre digno; nec enim credo, bonos viros ideo meum nomen odisse, quia leues quidam & imperiti homines illud in theologiam inuidiam nuper publice adducere ausi sunt, abusi schedarum tenentium ista auctoritate. Optimo autem Parenti, si *Te* deus *Ei* reddiderit, verbosius & studiosius expone luculenta, quae expectus es, dei beneficia; & Patris exemplum feliciter porro continuum ad alios praesta. Dab. Halae in Frid. d. 5 Ap. 1770.

AMICOSVO OPTIMO

CHRIST. WILH. SCHWENCKNER BORVSS.

Petisti a me *Amicorum Optime*! vt litteras quasdam dissertationi *Tuae* adiungerem, quae signum amicitiae nostrae esse possent, qua mihi nihil aut fuit vnquam, aut erit in posterum inuicidius. Habes quae desideras, sed paucis tantummodo verbis comprehentia. Fieri namque plane non potest, vt ea quae melius sentiri quam verbis explicari possunt, vel longa oratione recitentur. Attamen omnino silentio praeterire haud possum voluptatem, qua affectus sui, cum felicitas mihi contingeret *Tecum* amicitiam inuendi, quae consequenti tempore magis aucta est, atque confirmata, fundamentoque certo plane ac stabili nititur. *Tui* nimirum animi praesentia, *Tua* in litteris assiduitas integritaque morum ea, quae *Te* omnibus quorum in notitiam peruenisti amabilem reddidit, & me *Tibi* quam maxime conciliauit. His virtutibus *Tuis*, cum summum studium meum *Tibi* placendi accessisset, fieri non potuit, quin vinculum hoc magis magisque confringeretur. Quae cum ita sint, laetitia non exigua est, qua hodie afficior, cum me testem scientiae *Tuae* atque eruditionis habere volueris. Summa itaque voluptate accepti aduersarii munus, quod mihi mandasti, spero enim & confido fore vt sermo qui inter nos intercedet *Tibi* honori atque laudi, mihi autem magno vsui sit atque gaudio. Tandem *Te* rogo vt & absens memoriam colas eius, qui amicitia atque amore erga *Te* omnibus praestare conabitur. Felix ac faustus proficere in patriam, Parentis *Tui* Reuerendi decus, animi mei deliciae! Vale! Halae d. 5 M. Aprilis 1770.

AMICO SVO LONGE CONIUNCTISSIMO

S. P. D.

ERNESTVS GODOFREDVS MENTZEL VOLAVIA-SILESIVS.

OPPONENS.

Cogitanti mihi, quae *Tibi*, Amice suavissime, scriberem, tam multa pro nostro veterissimo verissimoque amore in mentem veniebant, quae, quamvis paucis dantaxat complecterer verbis, si commemorare vellem, me limites harum litterarum esse transgressurum, vereor. Incredibili sane laetitia afficior, quoties temporis gratissima subit imago, quo ab ineunte aetate sub Patris *Tui* maxime reuerendi, quod, quantum illi debeo, animo agnosco pergrato, auspiciis parique emulatione ducti, prima litterarum posuimus rudimenta. Ardua sic in dies evadebant amicitiae nostrae vincula, quae etiam, cum tanta in *Te* deprehendam virtutis & industriae ornamenta, dissolvi plane non possunt. Quantam ergo voluptatem perceperim, cum mihi aduersarii partes in certamine publico amice demandares, etiam, me tacente, scire potes. Istam ergo occasionem exoptatissimam lubentissime arripio, eaque summa animi voluptate affectus vtor, intensissimum illum, quo *Te* prosequor, amorem, & quanti *Te* faciam, publice testandi. Gratulor *Tibi* de doctrinae *Tuae* primitiis, quae sat in exaranda disputatione *Tua*, cuius e lectione me voluptatis haud paululum cepisse profiteor, comprobasti; mihique, quod magna ista *Tecum*, tantis virtutibus exornato, mihi intercedat familiaritas. Servet *Te* Deus per longam adhuc annorum seriem saluum & incolumem, vt tandem fructus studiorum *Inuorum*, percipere possis, qui *Te* iam expectant, maximos & exoptatissimos. Vive Deo, cuius cultui *Te* totum consecrasti. Vive patriae, Parentum *Tuorum*, familiaeque *Tuae* laeticiam. Vale, meque, amare perge. Dab. in Regia Frideric. d. 5. April. cl. lo cclxx.

AMICO INTEGERRIMO

S. P. D.

IOH. SAM. TRAVGOTT BVRCHARDI OPPON.

HIRSCHBERGA SILESIVS.

Etsi quidem iam ab eo tempore quo dulcissima grataque *Tua* consuetudine mihi frui licuit, multa eaque praeclara amicitiae *Tuae* mihi praebuit documenta, nullo tamen pacto hoc familiaritatis nostrae vinculum firmitus confirmari potuisset, quam quidem eo, quod differentis spartam mihi benevole conferre non noluisset. Iam quidem in praesenti non possum omnia ea enarrare, quae ex favore *Tuo* mihi huc usque semper praestitio percepit oblectamenta; nec ob virtutis *Tuas* encomiis *Te* exornare volo; licet enim iustissimis laudibus accumulandus esses. Satis iam hoc specimen quod tanta eruditione tantoque elegantia elaborasti, pro omnibus qua de *Te* praedicari possunt. Propterea plane nescio, qua ratione *Tibi* fidum erga me amorem restituere possim, cum me tanto dignatus fuisset honore, vt me quasi comitem diligentem *Tuae* eligeris. Ex animo itaque *Tibi* de profectibus istis gratulor, quas in studiorum *Inuorum* curia fecisti. Gratulor Patri *Tuo* maxime reuerendo, de filio qui tanti gaudii praebet materiam; *Tibi* vero amice suavissime, de tam feliciter peccato curriculum academico gratulor. Nihil magis apprecor, quam vt Deus T. O. M. favore & in posterum conatus *Tuos* condecoret, simulque *Te* praemiis istis exornet, quae virtutes *Tuae* merentur. Quod reliquum est, nihil magis abs *Te* peto, quam vt in posterum pristina amicitiae solum non abrupas, sed me eo studio amare pergas, quo semper huc usque desiderio meo satisfecisti. Sic vale, meque *Tibi* semper habere commendatissimum, velim. Dab. in Frideric. Regia. d. 5. Apt. A. R. G. MDCCLXX.

Fe 4194

ULB Halle

3

002 623 889



SB

Retrov





DISSERTATIO HERMENEVTICO - DOGMATICA

IN

M A T T H. V, 17.

QVAM DEO FAVENTE

PRAESIDE

IOANNE SALOMONE SEMLER

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORDINARIO,

SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE,

REGIORVM ET HALBERSTADIENSIVM ALVMNORVM EPHORO,

PRAECEPTORE INCOMPARABILI, PATRONO ATQVE FAVTORE

DEVOTA REVERENTIA COLENDO

IN REGIA FRIDERICIANA

DIE IX. APRIL. CIOIO CCLXX.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBICIET

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS ERDMANN BRVN

VOLAVIA - SILESIVS.



HALAE

LITTERIS HENDELIANIS.

